



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales**

In Qvibus Vniuers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1612**

11 Quaedam quaestiones de vniuersa cambiorum materia diluuntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14014**

Quarto, cum pecunia datur alicui, & qui dat, scit, vel credit, ibidem, non alibi esse sibi soluendam. Nauar. in *Manual. cap. 17. num. 183.*

Quinto, cum Titius dat Caio mille aureos, vt ad finem mensis restituat, eo tamen pretio, quod certo, vel probabiliter creditur esse maius futurum; quia dat, vt tantundem cum lucro recipiat. Vt si nummularius det Genuae centum aureos ea conditione, vt recipiat totidem, vbi certo, vel probabiliter ratione sunt plus valituri. Siluester *Vsura 4. num. 60.* Ioann. Baptista Lupus *tract. de Vsura. comm. 3. num. 66.* Angelus *Vsura 2. num. 54.* Medina *de Reb. per Vsura. acquisit. qu. 8. §. 9.*

Sexto, cum pecuniae dantur in nundinis, vt solvantur ad alias proximas nundinas, & pactum sit de certo, & determinato lucro solvendo, nisi pecuniae fuerint solutae: hoc enim damnatur in *Pij V. constitutione.*

Septimo, cum nummularius dat pecunias, vt sibi solvantur, non in proximis, sed in remotionibus nundinis, & ideo lucri plus exigit, quia in longioris temporis moram differet solutionem: hoc enim *Pij V. constitutione* damnatur.

Octauo, cum est cambium simul & recambium, v.g. dat non nummularius Titius pecunias Caio, vt eas sibi habeat, donec reuertatur in patriam, vbi nummos habet, vel donec adipiscatur possessionem Ecclesiasticae beneficii, quod obtinuit, vel donec recipiat fructus reddituum annuorum, super quibus mora lis est: & interim nummularius fingit se illas pecunias dare in nundinis, vt sibi in alijs nundinis solvantur. Vnde toto eo tempore crescit lucrum pecuniarum. Hae cambia, & recambia damnantur in *Pij V. constitutione*, vt aiunt Nauar. in *Manuali cap. 17. num. 283.* & Ioannes Baptista Lupus *tractat. de Vsura commentario 3. num. 68.*

Item suspecta cambia censentur, cum Titius nummularius dat Caio pecunias alicubi, & quaerit ab eo, vbi eas soluturus sit. Respondet Caius, soluam tibi, vbi volueris: tunc enim solum videtur Caius pecunias mutuas petere, vt suis commodis prospiciat.

Item, cum nummularius certo, & probabiliter scit, eum qui pecunias petit, & accipit, id facere necessitate compulsum, esseque ibi soluturum, vbi nummos accipit.

Præterea, quando Caius petit à Titio nummulario pecunias, quas dicit se Venetijs soluturum, & Titius ait: Dabo, vt mihi soluas Neapoli, vbi scit Caium nullam pecuniam habere, nec alium quempiam, qui pro eo soluat.

### Quaedam questiones de vniuersa cambiorum materia diluuntur.

#### CAPVT XI.

**P** R I M O quaeritur, Quid dicendum sit de viduis, alijsque hominibus, qui suas pecunias apud nummularium deponunt in negotiationem, vt lucrum in singulis nundinis nummularius ipse det? Respondeo, eos apud nummularium pecunias tripliciter posse deponere. Aut enim eas pecunias accipit nummularius in vim cambij, vt eas in nundinis soluat: aut accipit tanquam procurator illorum, vt negotium eorum gerat: aut denique accipit in societatem. Si primo modo, contractus licitus non est, quia non dant nummulario, vt in alio loco, vbi nundinae celebrantur, pecunias cum lucro recipiant, sed ibi, vbi eas dant nummulario, & in singulis nundinis sibi lucrum acquirunt, siue literæ mittantur ad nundinas, siue secus: ac proinde mutuum est nomine cambij factum, & ideo lucrum est vsurarium: Si secundo, tunc contractus est licitus, quia nummularius negotiatur tanquam procurator eorum, qui pecunias sibi dederunt. Verum si fortuito in negotiatione pecuniae perierint, suo Domino peribunt, nõ nummulario. Si tertio, tunc qui pecunias dant, in eunt societatem cum nummulario, ac proinde iura conscientia lucri partem accipiunt, dummodo fors, quam in commune conserunt, sit

ipsorum periculo, & bona fide credant, nummularium negotiationem licitam, & honestam exercere: alioquin cum si nummularius ex sicco cambio lucrum ipsis reddiderit, id secundum conscientiam cogatur restituere.

Item, si scierint nummularium non negotiari, & tamen lucrum reddere, ac si esset ex negotiatione acquisitum, id retinere nequeunt, nisi quatenus nummularius ei soluere debet, quod ipsorum interest.

Secundo quaeritur, An iura conscientia possit lucrum accipi ex cambio sic, ratione lucri cessantis? Ioan. Baptista Lupus in *tract. de Vsura, comment. 3. §. 2. num. 68. ad finem*, sic ait: Si quis a cambio vero cessaret, & propterea lucrum, quod ex vero cambio erat percepturus, prætermitteret, coactus, vel rogatus a te, vt pecuniam tibi mutuum daret, non posset lucrum ex huiusmodi mutuo percipere. Id probat, quia lucrum cessans non debetur, nisi post moram debitoris, at in hoc casu nulla est debitoris mora.

Deinde, lucrum non cessat, nisi cum pecunia est in negotiatione posita, ex qua quis erat lucraturus. At in præsentia, pecunia nulli alteri negotiationi, nisi cambio est exposita, ergo lucrum non cessat ex cambio, siquidem pecuniam dat alteri in vim cambij.

Postremo, *Pij V. constitutione* de cambijs prohibetur, ne quis demceps lucrum certum, & determinatum audeat accipere ratione solutionis non factae. At Caietanus in *opus. tom. 2. tract. de cambijs cap. 1. in principio*, sentit posse tunc lucrum percipere: & ponit exemplum iniqui cambij, & lucri percepti, & postea subiicit: Nec potest excusari nisi in casu, in quo Petrus egeret illis centi ducatis, & campfor haberet in promptu verum cambium, & ad instantiam Petri, eam pecuniam ipsi daret eo pacto. Ita Caietanus, a quo non dissentit Nauar. in *tract. de Vsura num. 266. & in Manuali cap. 17. num. 283.* Hæc opinio verior est: nam ex mutuo lucrum cessans percipi potest, vt habet communis opinio: de qua re alio in loco tractatum.

Reliquum est, vt superius obieci diluamus. Ad primum argumentum respondeo, non requiri moram debitoris, factus est, pactum esse initio, vt lucrum cessans solvatur arbitrio vel iudicis, vel boni viri.

Ad secundum, pecuniam esse vero, & licito cambio expositam, à quo nummularius desistit, vt eam det mutuum alteri indigenti. Nec desistit, si illud mutuum nomine cambij simulatur, quia cambium est sicum, & nummularius à vero cambio cessat, vt suas pecunias in sicum cambium, hoc est, in mutuum det.

Ad tertium, *Pij V. solum* prohibet, ne principio pactum fiat de certo, & determinato lucro solvendo ratione eius, quod interest nummularij, non tamen prohibet, ne id pactum sit de certo lucro taxando, vel officio, & decreto iudicis, vel arbitrio alicuius alterius viri prudentis: merito noluit Pontifex id pactum de certo lucro taxando, relinquere in voluntate nummularij dantis pecunias, ne in sua causa esset iudex, & ne lucri studio, & cupiditate deciperet accipientem pecunias.

Tertio quaeritur, Quid dicendum sit in casu sequenti: Titius dedit Genuae Caio mille aureos sibi alio in loco ad primas nundinas soluendos cum lucro: sed ante tempus nundinarum Titius pecunijs eger, & ideo ius, quod habet exigendi in primis nundinis pecunias à Caio, alteri vendendum minoris curat, vt statim pretium accipiat. Quaeritur, an ipse Caius possit statim pretium offerre, quod est minus, quia anticipato solutus? Respondeo, id tuto facere Caium non posse, quia ex cambio vero ante factio, debet mille aureos, & certum etiam lucrum in proximis nundinis soluere, ac proinde nequit hoc debitum minoris redimere, & extinguere, quia in omnem euentum debet soluere mille aureos, & lucrum. At Senus, inquit, potest ius, quod Titius in Caium habet, minoris emere, ergo & ipse Caius. Respondeo, disparere esse rationem, quia Senus ex nullo priori contractu debebat Titio mille & centum aureos; at Caius ex priori cambio, & licito cogebatur soluere Titio mille & centum aureos: ergo quauis Senus possit

possit emere nonaginta aureis, non tamen Caius. Deinde, obijciat; Titius cum Genuae dedit Caio mille aureos, ut solueret in proximis nundinis mille & centum; acquisiuit dominium mille & centum aureorum sibi in proximis nundinis soluendorum; quia cambium est contractus, qui consensu perficitur statim, ut est praesens pecunia data tanquam pretium absentis, & fides data de absentis soluenda: ergo potest Caius emere à Titio ius, quod habet ipse Titius in Caium. Respondeo in hunc modum: Quia ratione mutuatarius vi mutui debet tantundem restituere quantum accepit, & proinde id quod debet ex mutuo, nequit minoris emere à creditore: eadem quoque ratione, qui nomine & iure cambij pecunias accepit, debet totidem soluere quot accepit; & ideo nequit minoris redimere, & extinguere id, quod vi cambij debet.

Quarto quaeritur, Quid sit dicendum de cambio, quod proponam. Caius accipit Romae à Titio nummulario centum aureos, quibus tunc Romae indiget, soluturus eos Toleti in Hispania ad tres menses eo pacto, & si Toleti soluta non fuerint pecunia tempore constituto, debeat soluere Caius Romae ipsi Titio centum aureos vna cum lucro, quod perciperet Titius, si Caius Toleti centum aureos solueret, quos procurator Titij Toleti iterum dedisset alteri soluturo eos hic Romae, & pactum est, ut lucrum tale Caius, prout fuerit hic Romae officio iudicis aestimatum: quo pacto inito, Caius Titio nummulario tradit literas, quibus mittit Toletum ad Seium, quem Caius nominauit, ut qui pro ipso soluat: sed ille Toleti ad diem praefixit non soluit, aut quia noluit, aut quia non potuit. Quare minister vel procurator Titij alias literas ex urbe Toletorum mittit ad Titium, quibus scribit, Seium pro Caio non soluisse pecunias, & propterea cogitur Caius Romae soluere Titio non solum pecunias quas accepit, sed etiam totum lucrum, quod erat Titius percepturus ex pecunijs, si essent Toleti soluta. Ille enim nomine cambij, & iure essent alteri datae Toleti, ut cum lucro Romae soluerentur Titio: aut cogitur ipse Caius iterum ab eodem Titio Romae pecunias accipere nomine & iure cambij, ut eas Seius pro eo Toleti soluat, eo pacto & conditione, ut si Seius Toleti non soluerit; Caius soluat Romae decreto & sententia iudicis septem ultra centum quae acceperat. Ratio dubitandi est, tum quia Pij V. constitutione prohibetur, ne pactum fiat certo & determinato lucro soluendo ratione iuri cessantis: tum etiam, quoniam si Seius Toleti non soluit, quia non potuit, in culpa non fuit: per ipsum enim non fuit, quo minus solueret. Ergo immerito Caius Romae compellitur soluere totum lucrum, quod Titius perciperet ex pecunijs Toleti solutis, & nomine cambij datis, ut Romae soluerentur. Respondeo, licitum esse huiusmodi cambium, & lucrum, quia Titius Romae dedit pecunias eo pacto, ut eas Toleti solueret cum lucro, quod essent paritatem ex secundo cambio, hoc est, ex pecunijs Toleti solutis, & iure cambij datis, ut Romae cum lucro alia soluerentur: quia hoc pactum, Pij V. constitutione non prohibetur, cum non sit de certo & determinato lucro soluendo, sed taxando, officio & decreto iudicis. Et nihil impedit, quod poena non nisi post culpam debetur, quia tale pactum potius conditionem, quam poenam continet; hoc est, si pecuniae pro Caio Toleti solutae non fuerint, Caius Romae soluat. Praeterea, quatenus in hoc cambio inest etiam pactum, quo Caius iterum nomine & iure cambij literas ad Seium Toletum mittit, ut pro eo soluat; sin minus, Caius Romae soluat sententia iudicis septem praeter centum, quae accepit, non est hoc Pij V. constitutione prohibitum, quia nempe illa septem Caius soluere cogatur officio, & decreto iudicis, ratione iuri cessantis, quod perciperetur nummularius esset, cum suas pecunias negotiationi habeat expositas, quoniam Pij V. dicta constitutio prohibet pactum de certo lucro soluendo ad arbitrium nummularij, qui pecunias dedit, non autem si pactum fiat de certo lucro, quod decreto & sententia iudicis fuit taxatum.

Sexto quaeritur, An sit iniquum, vel usurarium, cambium sequens: Dat Titius nummularius Genuae Caio pecunias, ut soluat Lugduni, quem tamen certo scit, vel probabiliter credit minime Lugduni soluturum, nisi alias pecunias ibi nomine & iure cambij ad soluendum accipiat? Quidam teste Siluestro in verbo Usura 4. quest. 9. vers. 6. tenent, cambium esse usurarium, quemadmodum usura peccatum est, si Titius emat à Caio viginti aureis bouem, quem ipse Caius non habet, & deinde locat bouem ipsi Caio certa mercede, & propterea obligat sibi Caium ad soluendum sibi viginti aureos, & praeterea certam locationis mercedem. At verius est quod dicit Siluester, licitum esse cambium, quia sufficit, si nummularius emat absentem pecuniam Caij, vel suam pecuniam praesentem cum absentis pecuniam Caij permittet: sufficit etiam, si Caius habeat, vel habere queat aliqua licita ratione, vel certe Lugduni pecuniam quam ibi soluat. Quare satis est, si Caius Lugduni, nomine & iure alterius cambij possit pecuniam acquirere.

Septimo quaeritur, An sit cambium sicum cum nummularius dat pecunias Regi, vel principi indigenti, eo pacto, ut soluat in nundinis, sin minus, soluat omnia luera, quae nummularius esset in nundinis ex repetitis identidem cambijs, donec ipse Rex soluerit, percepturus? Respondeo, sicum esse cambium, quia nummularius certo scit, vel probabiliter credit Regem vel Principem non esse soluturum in nundinis, & pecunias petere ad tempus soluendas, quia ad tempus ipsis indiget.

Quaerit, An possit nummularius iustam excusationem habere, quia Princeps ea omnia luera expresse, vel tacite donat? Respondeo, non habere, quia donatio non est, nisi quae gratis & liberaliter fit: & talis donatio fit ex causa & necessitate, ex causa quidem, quia Princeps se obligat nummulario, & proinde se omnia luera soluturum promittit: ex necessitate vero, quia inopia, & egestate compulsus id facit: posset tamen excusari, si pecuniam Regi mutuet, & petendo ab eo verum lucrum ea de causa illi cessans.

Octavo quaeritur, An recambia, quae multum vitata apud nummularios sunt, licite fiant? Ut quod quaeritur in praesenti, commodè intelligamus, sciendum est, talem esse consuetudinem inter mercatores: Titius. v. g. dat Principi pecunias in Hispania, ut eas soluat in Belgio; deinde vero missis illuc literis, nulla fit pecuniae solutio ob bella, pericula, causasque alias, quare nouae literae remittuntur ex Belgio in Hispaniam, deinde alio cambio facta. Et propterea soluere cogitur Princeps in Hispania non solum fortem principalem, sed etiam lucrum, quod erat ex primo cambio ex Hispania in Belgium, & ex secundo ex Belgio in Hispaniam nummularius percepturus, & praeterea exigitur etiam à Principe lucrum ex ipso lucro. Exempli causa, ex Hispania in Belgium missis cambijs literis, erant in Belgio soluendi mille & viginti aurei: mille quidem, tanquam fors principalis data in Hispania, ut in Belgio soluerentur: viginti vero, tanquam lucrum ex cambio. Quando igitur facta solutio in Belgio non est, remittuntur literae in Hispaniam, non solum ut in Hispania mille & viginti aurei reddantur, sed etiam ut soluantur lucrum ex mille & viginti aureis. Et ita, donec Princeps totum debitum soluat, iterantur cambia cum recambijs. Haec igitur recambia licita esse nummularij contendunt, tum ratione iuri cessantis, quia cessant ipsi nummularij à veris & licitis cambijs: tum etiam damni emergentis ratione, quia nisi hoc pactum à principio inter ipsos & Principem fieret, graui damno afficerentur, ac tota cambiorum negotiatio, vtilis alioqui Republicae, periret. Profecto, si talia recambia moderate fiant, iure naturali non damnantur: sed quia modum excedunt, & usurae speciem habent, & plurimarum fraudum praebent occasionem, eatenus merito condemnantur.

Nono quaeritur, An ius habeat nummularius centum aliquid exigendi ratione oneris, quod sustinerit nume-

rando pecunias quas recipit, cum illi soluntur. Est alicubi positum in more, ut dum nummularius pecunias recipit, propter numerandi laborem & molestiam, sibi aliquid acquirat ex singulis quibusque centenis aureis numeratis Caietanus in *Opus. Tractatu 7. cap. 1.* negat hoc licitum esse, quia numerandi actus gratuitus est, non metenarius: nam est in gratiam & bonum utriusque, quoniam cum nummularius dat pecunias, numerat eas, ut totidem sibi reddantur: ita etiam, cum recipit pecunias, eas numerat, ne in solutione fraudetur. Deinde, cum ipse dat pecunias, uterque numerat, tum ipse, tum is cui dat, numerat; cum verò alius dat ipsi, uterque itidem numerat, ergo vna numeratio cum alia compensatur. Sotus verò *lib. 6. de Iustitia quest. 11. art. 1.* affirmat id esse licitum, ubique est conuetum: quia nummularij sunt veluti mercatorum & aliorum depositariorum, & fideiussores; ideoque ratione huius muneris, officij, & obsequij quod præstant, stipendium exigere possunt. Placet mihi hæc Soti sententia; ac ubi talis extra consuetudo, minimè videtur condemnanda: ubi verò ea non est consuetudo, probabilius est quod asserit Caietanus, ob eam, quam idem auctor assererat rationem, quia nempe debitor pecunias numerate ipso iure compellitur, eaque numeratio etiam est in gratiam creditoris, ut videat, an tantundem sibi reddatur, quantum dederat, ex quo fit, ut priuato homini non liceat tale stipendium exigere.

Decimo quaeritur, An extra usuram possit Titius nummularius pecunias ab aliquo, puta Caio, accipere in negotiationem cambiorum, ea conditione, ut si ex singulis quibusque centenis aureis plus aliquid obuenerit ultra lex, id Caio reddatur, qui Titio nummulario pecunias dedit? Respondeo, huiusmodi contractum posse tripliciter fieri. Aut enim contractus Societatis, ita ut Titius nummularius & Caius, qui pecunias tradit, societatem coeat, & nummularius in commune conferat suam industriam & operam, & ille alius, nempe Caius, solum pecunias: Aut est contractus locationis, quo Titius nummularius Caio locat operam suam & laborem: Aut est contractus Cambij, quo Caius dat Titio pecunias suas in vno loco, recepturus eas in alio. Si primum, tunc necesse est ut Caius suo periculo pecunias in commune conferat: etsi industria & opera nummularij tanti aestimetur, quanti pecunia Caij, tunc Titius & Caius debent æquis portionibus lucrum inter se diuidere, tanquam socij negotiationis. Si secundum, tunc Titius nummularius in omnem euentum debet habere iustam sui laboris & operæ mercedem, vel ex lucro negotiationis, vel aliunde. Si tertium, tunc videtur esse cambium sicum, quia nummularius tanquam depositum, videtur pecuniam suscipere, quia nullæ ex vno loco ad alium literæ mittuntur, nec in diuersis locis pecunia datur, & soluitur.

Vndecimo quaeritur, An tuta conscientia Caius, qui dat pecunias Titio nomine & iure cambij, possit pignus exigere, quia alioqui Caius Titio non fidei? Respondeo posse, ita tamen, ut si res pignori data, & accepta, fructifera sit, Caius fructus perceptos computet in sortem. Si verò non sit fructifera, contractus est etiam licitus, quia Caius suam pecuniam credere Titio non cogitur absque idonea & legitima cautione: Pignus autem, quemadmodum & fideiussores, datur legitime cautionis loco.

Duodecimo quaeritur, An Titius nummularius, qui Caio suas pecunias tradit nomine cambij & iure, possit cum eo pacisci, ut in cambijs ex singulis quibusque centenis aureis tanquam luctum habeat, octo, & nihil amplius? Respondeo, eiusmodi pactum esse usurarium, quia nullum est pactum de soluendis pecunijs in nundinis, siue de mittendis literis ex vno loco ad alium, sed solum de recipienda ad tempus pecunia tradita, & lucro certo ex ea soluendo creditori.

Decimotertio quaeritur, quid de ijs nummularijs sentiendum, qui aliorum pecunijs siue nummis receptis, hoc est, si

bi creditis, fingunt se non esse soluendo; & propterea implorato etiam iudicis officio impetrant, ut creditores sine minoris pecuniæ solutione contenti? Respondeo, eos, si ad pinguiorem fortunam peruenerint, integrum debitum restituere debere, quia creditores iusta & debita solutione defraudant: nec excusantur iudicis officio, quia per fraudem, eius sententiam extorquent.

Quid si creditores reliquam debiti partem remittant debitori? Respondeo, hoc minimè sufficere, quia non gratis & liberaliter remittunt, sed dolo & fraude decepti. Quid verò, si creditores tradiderint debitori synographam, qua fatentur se liberaliter remittere, quod debet? Nec hoc satis est: quia id ex causa faciunt, rati debitorem non esse soluendo.

Minus item iusta est excusatio, quando creditores coguntur suum ius alteri vendere, qui deinde benevolentia & amicitia causa, debitori remittit id quod alioqui debebat: nam etiam tunc debitor integrum debitum restituere creditori debet, non emptori beneuolens, & amico, quia hic amicitia causa debitum condonauit, ille verò vel per fraudem deceptus, vel per ignorantiam adductus.

Decimoquarto quaeritur, quid de ijs nummularijs censendum, qui pecunias quidem in nundinis dant pretio quod tunc est taxatum, sed fraude eorum, qui monopolium fecerunt? Animaduertendum est, consuetudinem esse, quia frequenter monopolia à nummularijs, qui in nundinis conueniunt, fiunt; solent enim tres, quatuor, quinqueque nummularij omnem pecuniam hinc inde contrahere, & penes se congerere, unde proinde magna consequitur nummorum penuria, & ipsi qui pecunias collegerunt, pretia cambiorum suo arbitratu constituunt. Aliquando verò tametsi pecunias ad se non redegerint, paciscuntur tamen inter se, ne quis eorum pecunias det alteri, nisi hoc vel illo pretio, & non minori. Quaeritur iam, an non solum auctores monopoliorum restituere debeant, sed etiam iij, qui pecunias dant pretio in monopolijs taxato, quamuis monopolij causam non dederint? Respondeo, eiusmodi monopolia esse iniqua, & Pij V. constitutione damnata, ubi Pontifex habet in hunc modum: [Eos vero, qui conspirationes fecerint, vel conestam vadique pecuniam ita ad se redegerint, ut quasi monopolium pecuniæ facere videantur, penes, quæ à iure contra exercentes monopolia constituta sunt, teneri sancimus.] Porro *Li. C. de monopolijs*, auctores monopoliorum bonis omnibus spoliantur, & perpetui exilij pena mulctantur. Hi igitur monopoliorum auctores restituere secundum conscientiam coguntur, quicquid damni eorum causa consecutum est. Ceteri verò, qui auctores monopolij nullo modo sunt, si certo sunt, vel probabiliter credunt iniquum esse pretium, quo tunc in nundinis pecuniæ datur, restituere debent quicquid lucrantur ex cambijs illo pretio taxatis: hoc est, ex pretio detrahere debent, quantum æquitas & iustitia postulat: nam etsi causa monopoliorum non fuerint, sunt tamen participes lucri. At verò si bona fide crediderunt, iustum esse pretium quo pecuniæ dantur, minimè restituere coguntur, quod bona fide acceperunt, si id consumperint, nec ex eo sint facti diciores. Secus verò est, si adhuc extes quod acceperunt, vel si ex eo locupletiores sint facti.